

V C
5095

Ad
 SERENISSIMUM PRINCEPEM
 DN. JOHANNEM GEOR-
 GIUM TERTIUM
 SAXONIÆ DUCEM &c.
 SERENISSIMI ELECTORATVS SAXO-
 NICI HEREDIS,
 DN. JOHANNIS GEOR-
 GII SECUNDI,
 FILIUM SEPTENVIRALEM,
 EUNDEMQUE
 POTENTISSIMI SAXONVM DVCIS
 ELECTORIS,
 DN. JOHANNIS GEOR-
 GII PRIMI,
 AUGUSTISSIMÆ SPEI NEPOTEM,
 JUVENTUTIS PRINCEPEM,
 GRATULATORIA
 GEORGII De MÜNTER
 Dresdensis,
in ipsis
 SERENITATIS EJUS IX. ONOMASTERIIS
ex memoria publice recitata
 in
Academia Wittenbergensi
 ANNO clb lbc, LV.

Ex Officina JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.





RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

HENRICUS

COSELIUS

PRAGENSIS BOHEMUS J. U. D. Pand.

P. P. Curiaë Electoralis, Scabinatus ac
Facultatis Juridicæ Assessor,

CIVIBVS ACADEMICIS

S. D.



celebrare eorum natales,
quibus amor debetur & cultus, vetus
religio est: sed juniorum pietas & illos
habere festos instituit dies, qui charissi-
morum nominibus insigniti in fastis. Ortu inci-
pimus; nomine noscitur: & sæpe quod loquitur
nomen, vita exhibet. Bene igitur & Onomasterijs
sua debetur solennitas; faustisque omnibus prose-
quimur nomina, quorum natales de nobis egregiè
meriti, quod dederint tales. Varijs quidem officijs
nostra occupatur affectio: sed bonis subditis quid
charius fuerit principibus bonis? Hoc charitates
omnes complectitur nomen: in hoc parentes, co-
gnatos; in hoc tutores, & vindices, & servatores adeò
habemus. Prætervehenti Augusto Puteolanum si-
num vectores & nauæ de Alexandrinâ navi, quæ tan-

A 2

tum

tum quod appulerat, acclamarunt: *Per illum se vi-
vere, per illum navigare: libertate atq; fortunis per
illum frui.* Idem testari omnes par est, qui neque
nesciunt, quid bonum principem faciat; & qui sunt
nacti principem bonum. Idem gratari nos hodie
debet, cum vati maximo festa lacraque dies affulsit,
qui gratiosissimum suum nomen Gratosissimis & Se-
renissimis nostris principibus transcripsit. O datum
merito plenum gratiae nomen, qui nascituram mun-
do gratiam veneratus tripudio nondum natus est,
& natus postea fideli praedicavit praconio! O trans-
ditum merito nomen nostris principibus, quorum
gratia & indulgentia caelestis omnia nostra aut fovet
opere, aut erigit spe; & lux cuique fortunae ac status,
vel praestat nobiliter, vel promittit tutelam! Quare
dum pompis solennibus, quod nemo dubitat: dum
festis gaudijs perstrepat aula, & mutuò nexi sanctis-
simis vinculis inter se principes, Principibus summis
devoti proceres gratulantur, atq; hinc Patris maximi
merita paria diuturniora omnibus precibus optant;
hinc æmuli Filij maturas virtutes in publicam spem
longum vovent superstites: aut adolescentis nepotis
florem lætissimum, ut in uberrimos & dignos tan-
tâ stirpe defloreat fructus, precantur certatim: ac sic
districtis voto non uno, nec circa unum, unum in ore
omnibus tamen auspiciatissimum JOHANNIS GE-
ORGII resultat nomen; minimè nos sedere conve-
nit, silentioq; securo, in tanto lætitiæ strepitu, obmu-
tescere penitus nostras Musas. Sed quoniam omnes
simul loqui haud possunt, interpret pietatis commu-
nis conscendet publicam postea cathedram politi-
tissimus Juvenis GEORGIUS de MUNTER Dres-
densis, Illustrissimo JOHANNI GEORGIO TER-
TIO, florentissimo Juventutis principi, floridâ ora-
tione de felicitate hujus diei memoriter gratulatu-
rus

rus. Non quod ignoret, quid Avo Patrique Sere-
nissimis debeatur; sed quia majora ijs deberi intelli-
git, quàm quæ ingenio dicendoq; æquare possit.
Grandia igitur grandioribus humeris delegat: ne
succumbat in viris ac senibus, qui adolescentem
principem dicere, vix tolerandum sentiat onus.
Quid, quod summa pietas est, quæ, cum se explicare
verbis haud potest, in silentium stupet. Interim
dum adolescenti principi dicto exhibet cultum, ar-
cana pietate animi majores tacitè venerabitur: & qui-
bus orationis non potest, obsequium mentis appro-
babit. Idem vos facite, **ACADEMICI CIVES,**
& dum auditis gratulationem Juniori Principi di-
ctam, applaudite faustis ominibus, rataq; orantis non
tantum optate vota, sed & pro Avo & Patre maxi-
mis, bonis pijsque precibus, clamante affectu, silenti
voce, æternum illud & indulgentissimum pijs Nu-
men defatigate. Vivant, vivant **JANI GEORGII**
nostri, maximi Principes, optimi Principes. Vivant,
inquam, æternumque durent in suis! Hi regant
& tueantur consilio patriam, exemplis instruant se-
culum, auctorum gloriã terrarum impleant or-
bem, non nisi cum ipso terminandâ. Vivat Pa-
ter augusta canitie venerabilis, neque ætatem sentiat,
& immortalis non comparandis meritis serò subeat
cælum! Vivat Filius ingenti animo vicens ac
annis, & Patrem, quem præfert, exhibeat, longum
ac diuturnum in publica bonum! Superet Nepos
feliciter, inque auctorum adolescat virtutes, & pa-
rem Avo Patrique, hoc est, optimum maximum-
que Principem præstet. Hoc nostrum, hoc patriæ
hodiè; imò totius Germaniæ votum sit. Neque
enim nostrâ tantum, sed publicè omnium interest,
ut sidera ista nunquam intercendant, semper fulge-
ant: & efficacissimi ac fecundissimi luminis sui
radijs

B

RECTOR

radijs illustrent ac foveant omnia erigant omnia
ridere florereque omnia faciant. Nihil invalidum,
aut quod recipiat ictum; nihil caducum atque mor-
tale hæc sentiat domus. Stet contra casus omnes
invieta ac felix: & tot insistens munimentis ac ful-
cris ævum omne evincat, religionis, virtutis, ac secu-
ritatis gentium asylum commune. PP. In sacra
D. JOHANNIS BAPTISTÆ luce, anno
recuperatæ gratiæ clō Is c LV.

Ad

Sereniss: Principem ac Dominum,

**DN. JOHANNEM GEORGIUM
TERTIUM,**

Saxonix, Julix, Montium Ducem &c.

Saxonix spes certa tuæ celsissime Princeps,

Accipe devotæ pignora fida manus:

Accipe: dumq; faves faveat tibi, fusaq; pro te

Det rata MUNITERI vota q; nostra DEVS!

Augustus Buchnerus

PP. & Acad. Senior.

PRincipis est nasci magnum; sed principe dignum,
Supra alios cellæ fingere mentis opes.

Hanc in Saxonico gnato dum primus adumbras,

Quàm Sene sub sancto jubilet alta domus!

Illam tibi tantum se indulgeat, oro, GEORGI,

Quantum est, ter geminos posse videre pares:

Convictori suavissimo

suo Lmq; fac.

Johannes Ericus Offermannus

P. P.

RECTOR

RECTOR MAGNIFICE,

*Patres Academici & Conscripti Amplissimi,
Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Cla-
rissimi: Vosq; Ceteri Auditores omnium Ordinum
Optimi lectissimiq;: nec non Studiosæ Juventutis no-
bilissima florentissimaq; Concio.*

FXultantis lætitiæ si veni-
rem interpretes publicus, A. O. commu-
nisq; gaudij, quod sanctum nobis ac
venerabilem hunc diem reddidit, næ concinno
apparatu & elegantiori sermone opus haberem,
quàm vel ingenij mei tenuitas promittere vo-
bis, vel non assueta dicendi ratio expedire po-
test. Sic enim erectæ frontes singulorum sunt,
sic expectatio omnium est, ut neminem arbi-
trer futurum, cujus plenum gaudijs pectus in
vultum non exundaverit, neminem, qui solem
hunc non expectaverit, concupiverit. Ad
Serenis: Principis lætitiã gaudetis universi:
hunc suspicitis, colitis, veneramini. Illos, qui-
bus regimur, fasces exolulamur meritò, cel-
sumq; nomen efferimus, quò beamur. Vi-
vidos solis radios cum tripudio quasi terra
excipit, fertilitatis suæ certissimum adjumen-
tum. Ridente cælo, rident omnia. Festus hic
dies incredibili gaudio complet omnes, quos
festum Nomen, Nomen magnum, Nomen Au-
gustissimum Principis Illustrissimi invitat ac du-
cit. Felicem me, si ad exprimenda cuncto-
rum jubila sat illustris, sat apta oratio penes
me reperiretur. Omnis illa in hujus diei festi-

vitae laboraret. Sed quoniam, quod sub initio conquerebar, & meditando & dicendi ineptitudine, insuper ætatis infirmioris conditione impedior, non tam sistere hoc gaudium vobis, quam læticias vestras imitari conabor. Ratus fore, ut infantiam sermonis mei nequaquam æstimeretur affectus ille ingens meus in optimum Principem. Cui tametsi bene precantur, bene cupiunt in universum omnes, ita tamen cuidam haud cessero, ut minus amasse Principem dicar. Chara nobis sunt hæc mundi lumina, quibus totus illustratur orbis, quibus refrigeramur ardentes, refocillamur dejecti. Quare minus hæsitabo, quantumvis quod magnificam alij, ego jejuna oratione afferam. Dicam hoc festo die, non aliena, vel nefasta: sed ea dicam, quæ testimonium scribent illius religionis, quam Principi meo nullis diebus, nisi qui vitam mihi finient, terminandam sacram nuncupo. Id me fatigavit maximè, quod in tanta dicendorum copia, quid eligerem, cogitando assequi non poteram. Offerebant se plurima, quibus impar essem; multa, quibus foret ut succumberem; maxima, quæ attingere non poteram. Placebat tandem ad invicti Herois æmulum Nepotem, maximi Patris non degenerem Filium, sic flectere orationis meæ cursum, ut in illo simul tanta numina, tantum genus, submississimis studiis venerarem. Non equidem quod persuaderer, teneram illius ætatem inani blandimento capi, atque surgentes maxima-

ximarum virtutum gradus leviori encomio celebrari posse. Excellentes laudes optimo Principi debitæ, meorum verborum copiam spernunt; supergressa communem sortem indoles magnis Oratoribus celebranda servatur. Sed verò, quia mihi met faciliorem promittebam veniam, si fortè primus Onomasterijsejus oratorium munus impenderim. Quocirca quod meditabar proferam, hanc præcipuam ducens curam, animi mei lætitiã quàm apertissimè exprimere. Tu Celsissime Princeps, favebis, ut sub Tuæ Serenitatis auspicio imperterritus verba faciam. Tu mihi silentium facere videris, cum nemo sit, quin ad honoratissimi Nominis Tui mentionem lætabundus dicenti benignam dare operam gestiat. Quam quidem à vobis A. O. vel ejus unius causâ, de quo dicendum, mihi polliceor, reverenter, quantum in me est, eandem ipsam precatus.

Diei hujus magnitudinem utrum à sanctitate propria celebrare magis conveniat, an Illustrium Virorum fama celebrior huc accersenda sit, vix conclusero: tantum est, utrumvis piè dicitur; nisi quod Nominis splendor magnorum Virorum famâ nutriatur. Theodoretum, qui inter eloquentes summè doctus, inter summè doctos eloquens celebratur, asseruisse perhibent, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis homines religionis zelo conspicuos Martyrum atq; Sanctorum vocabulis, filijs impositis, maximè esse gavisos; videlicet ut eis inde securitatem quandam veluti ac præsidium compararent.

C

rent.

rent. Superstitionem notate, A. Phylacterio-
rum, quod innuit, & amuletorum vices in no-
minibus colentem. Alios novimus per Divum
Chrysostomum à suavitate sermonis nomen na-
ctum, adeò ad Ethnicorum ritus defluxisse, ut
ex superstitie inter accensos cereos discerent,
quod nomen recens nato infanti, quod longio-
ris ævi indiciu, quod omen felicissimæ pro-
speritatis foret. Est aliqua nominum vis, nec o-
mni potestate destituitur appellatio. Cajus Ju-
lius cum nomine Cæsaris Majestatem in Au-
gustum transtulit. Quid dicam Carolum, qui
primus hoc nomen à Galliæ regibus Romano-
rum Cæsarum seriei imposuit? Quis est qui non
fortitudinem Caroli, Caroli robur, Carolum
verè Carolum in nomine teneri adhuc & vagi-
entis miretur. Macedonem Alexandrum solo
nomine auxiliatrices animi virtutes sponden-
tem, diu est quod celebravit orbis. Innumeros
alios huc vocare esset, nî in te solo, JANE GE-
ORGI, Dne. Clementissime, quod narrando
laudarem, abundè suppeteret. Tibi hæc lux or-
ta est: Tibi splendidior dies procescit. Chara
JOHANNIS dies! Gratiola dies! Ignoscas beni-
gnissime Princeps: pietas jubet per laudum Tu-
arum fæcundam messem incedere, atq; hinc in-
de pauca decerpere. Gratiola Princeps, quis est
qui jucundissimam Serenitatis Tuæ consuetu-
dinem, illud amoenissimum vitæ genus, quod
sequeris, non exosculetur? Felices sanè, quibus
in dies singulos, in singulas horas, tam placido
Nomi-

Numinis Tui aspectu frui, tam suavi beari allo-
quio contingit! Ipsæ Charites sedem in Tuo
vultu dicentur fixisse, sic nihil non summam præ-
se gratiam fert. Frontis gravitatem, oculo-
rum hilaritatem, genarum purpuram, oris sua-
vitatem, si coràm intueremini, A. ecquem Prin-
cipem hunc diceretis? Ecquam veneraremini?
Gratosum, quin habitaculum gratiarum? Ta-
le comis illa ac benigna mens sibi domicilium
metata est, ut ex vultu Principis, ex habitu cæ-
tero colligeretur statim, quantus incesserit ha-
bitator. Nec aliter fieri poterat, ut qui non
animis solùm, sed oculis etiam subditorum suo-
rum placere debebat, omnibus gratiolæ virtutis
dotibus ornaretur. Sic in ambiguo ponatur,
utrum magis inclita virtus mentibus, an beni-
gnus vultus obtutibus se nostris insinuet. Talis
procul dubio formæ eximiæ & per omnes æta-
tis gradus venustissimæ Cæsar Augustus, in pri-
mo Juventutis flore fuit. Titum gratia amabi-
lem, gratia delictum populi fecit. Quid quod
divinum aliquid præ se ferre videtur hæc ama-
bilitas; & qui oculis inditus est fulgor, sidere-
um quiddam sapit.

Credo equidem, nec vana fides genus esse Deorum.
Avitæ virtutis, paternæ indolis in JOHAN-
NE GEORGIO sistitur exemplar. O fas
esset mihi in horum laudes excurrere, ut me vox
citiùs, quàm digna eloquio materies deficeret!
Canes ferunt Ægyptios olim montem Ætnam
pervagatos, propter abundantem florum copi-

am, mirificam odoris vim ex se spargentium, hæfisse, & fragranti virtute hebetatos prædarum suarum fecisse jacturam, sic, ut nec sagacitate suâ juvarentur, nec cursu. Hæc mea voluptatis aucupatio principalis sanctior feris & vitanda magis videbatur. Sic me laudi Celsissimorum Principum intentum, pergratissimus tanti nominis allicit odor quidem, at ita ingenium obturbat, ut quid proferam primùm, aut in quo desinam, videre non possim. Quid integerrimam religionem, indefessum sinceræ pietatis studium, longâ enumeratione comprehendam? Quâ pax quæsitâ conservatur, bellum extinguitur, hostes avertuntur, victrix fortuna constat. Et hoc tantum in mortalium rebus bonum numquid ab his Principibus alienum fuit? Terrarum suarum fulcra firma voluerunt, sancta coluerunt. Quæ pro suis pericula obiverint, quibus curis fuerint agitati, quas res, quantas exantlarint, ipsi proferant, quotquot longior ætas exquisita rerum cognitione erudit. Loquentur cives, celebrabunt agrestes, adeò ut durissima saxa, urbes cultissimæ, templa sanctissima ad tantorum Principum vel solum nomen lætari videantur. Suorum salutem anhelarunt sedulò, nec minus suos servare omni ratione student. O bonos Principes! O parentes optimos! Potestatis fulmen lenitate jactum, justissimos animi affectus clementiâ temperatos, exteri mirantur, indigenæ supplices adorant. Non est, A. quod in his gaudentem in civium suorum fune-
ribus,

ribus, tripudiantem in luctu, in flammis riden-
tem, omnium internationem unius cervici im-
positam stultè voventem, è Romanis Cæsari-
bus pestem, quæratis. Benevolos cernite, cerni-
te placidissimos. Ne recusetis, obsecro, Celsis-
simos Principes inferiori nominis conditione,
sed excellentiore artificio, Medicorum titulo
notari. Medicinam facitis, prudentissimi Prin-
cipes, in vestris regionibus: saluberrimam me-
dicinam. Ægrotudines populorum adverti-
tis, doletis, lenitis. Vulnera curatis, morbos
corrigitis; protegitis quos deesse sibi constat;
auxilium largimini afflictis. Satiùs vobis est
ad amorem & benevolentiam Vestrorum pingi,
quam ad externorum terrorem. Sunt quos
tonantis Deastri fulmina, quos Herculis furi-
bundi clava, quos Martis fulminantis hasta, quos
ferocientis Neptuni tridens, suis formidabiles
reddiderunt. Hos amabiles Virtus, Gratia,
Favor, Clementia, dudum proclamarunt. His
regnum animatur, non secus ac corpora nostra
spiritu, qui vitam largitur, motum imperat, sa-
lutem corpori impertit. Principes nostri tu-
tantur, augentq; suos incrementis, leges præ-
scribunt. O dignos dignissimâ prole Paren-
tes! Nec indignum tantâ familiâ, Tertium
JOHANNEM GEORGIUM. Sic me diva falus,
quotiescunq; religiosa nominis hujus subit me-
moriam, confestim mens sui oblita, ad Numinis
hujus cultum devolvitur. Feliciter æmulæ

D

in

in TERTIO virtutes, solo Parentum nomine
debebant exprimi, nomine felicissimo, augu-
stissimo, fortunatissimo. Ex antiquis Rabbino-
rum fabulas stupemus, vim cælestis alicujus
conditionis in nominum ratione venditantes.
Certò siderum motu, influxu, tactu, rei deno-
minandæ ministerijs ab æternâ mente destina-
torum, vocabula per singulas literas collecta sub
principium hujus universi, hodiernum colligi iti-
dem somniabant. Fortè quod ad illorum
mentem Mundus ex duabus viginti literis con-
flatus formatusq; ex illis certas rudimentis vel
principijs corporum, certas animalium signis &
vitæ, certas vagantibus stellis, seu mavis, earun-
dem fictitijs orbibus, accommodatas habuit;
quas vel remissiore vel acuto magis sono pro-
nuntiatas, Planetæ sedum suarum interpretes
agnoscerent. Largiendum aliquid studijs ho-
minum, in superstitionem adeò pronorum, ut
in quovis apice miraculum quærant, quos frigi-
dorum sensuum exempla toti mundo ridendos
dudum exposuerunt. Inesse tamen divini-
tatis aliquid huic Nomini, non malè dixerim,
quod augustum est, quod felicissimum. Quod
in Illustri JOHANNÉ, Potentissimo GE-
ORGIO, Saxonum virtus, Myforum splen-
dor, Thuringiorum Candor, suspiciebat olim,
hoc in JOAHNNE GEORGIO Numen con-
juxit. Siste Tibi Princeps Avum felicissi-
mum: aspice sanctam Canitiem Ejus, qui Te
nascen-

nascente, renascebatur; qui Te gaudente, exul-
tat; quem teneræ Tuæ ætatis studia homine
Principe digna, mirificè delectant. Prisca
Romanorum secula Claudiorum nominibus
superbiant; Marcellorum appellationibus ef-
ferant se insolenter; Imitatrice Scipionum vir-
tute magnos se faciant; Bruti, Æmilij, Man-
lij, Mammerij, si fortè dicuntur, ingentes sibi
spiritus, magnam fumant arrogantiam; ut fe-
rendi non videantur. Degener tamen virtus
Claudios Claudio dissimiles protulit; vitium
Marcellos Marcello fecit indignos; Scipiones
priorum fortitudini innixos, otio marcuisse,
compertum habemus. Ut silentio præteream
Brutos Novatores, Turbatores, Parricidas. Æ-
miliorum, Manliorum, Mammeriorum glo-
ria in posteris, evanuit. At JOHANNIS
GEORGII Nomen augustissimum in Avo
surrexit feliciter, in Patre crevit fortiter; in Te,
Princeps Benignissime, floret constanter. O
divinatrix quædam facultas mihi suppeteret,
certus promitterem vitam Tuam non tam de-
currentium annorum injurijs petendam, quam
Tuorum votis ad extremæ senectutis tempora
sustentandam esse. Arborem, sub cujus um-
brâ delitescimus, cujus folijs defendimur æstu,
quæ sibilis Etesiarum oberrantibus leniter tacta,
gratos ex se odores promit, quibus reficiuntur
vires, recreantur spiritus, membra sustentantur,
quam nec severior ventorum vis percutit, nec
D 2 gravis

gravis procella dejicit, quantis in delicijs habemus? Quid Princeps? Arbor. Princeps potentiâ erectus, fortitudine excelsus, lenitate gratus, clementiâ opacus, justitiâ æquus, prudentiâ providus, pietate constans, suos protegit, suos refrigerat, suos pascit, suos gratâ quiete perfundit. O deliciû subditorum! O amor populi! Sic Gratosus, sic amabilis; sic votis omnibus expetitus est JOHANNES GEORGIUS. Nomē nectare dulcius, nomen stillante ambrosiâ suavius. Admirabilem Te, novâ perrecturæ felicitatis spe, vel hoc unicô, quod annua dierum series, Virtutem Tuam nobis refricare non desinit. Hanc quoties ordo fert JOHANNIS, expectamus læti, colimus hilares, transigimus gaudio tripudiantes. Ex Te discimus, Excelle Princeps, cui gratior nulla, nulla jucundior, nulla magis accepta lux orietur. Incalescentem Tibi hoc die solem advertimus, & augustiore nominis claritate fulgentem, ne Celsitudine Tuâ inferior, ne lætitiâ Tuâ minor appareat.

Vultus proinde nostros, Tibi conformes sistimus. Tu censura nobis es, eaq; perpetua, ad quâ dirigimur, ad quam convertimur. Tuum hoc gaudium est; Tibi Cælum blanditur. Quos itaque gaudiorum rivulos Serenitatis Tuæ favor in subditos Clementissimo affectu effundit, Illis abundè testimonium facit, perennantis lætitiæ scaturiginem sibi vindicatam limpidissimo fluxu ferri. Tu quod Magnorum pro-

genies

genies ad exoptatissimum hujus diei nomen
exultas, nostra subsilire facit pectora. Parem
de nobis spondere non ausim hilaritatem; Tuo
nutu regimur, flectimur. Tibi hic dies est in-
star immortalitatis, quem redeuntem quotan-
nis vides. Capere tantâ felicitate, & ut imite-
mur, vitam Tuam sacramento circumspice. Pa-
rentes pientissimi lætantur; jam de muneribus
Te dignis consilium ineunt. Ut placidè Tibi
illæ Avi incomparabilis canæ ridebunt; ut blan-
dè Genetrix Serenissima suum excipiet JO-
HANNEM GEORGIUM? Quid optimum
Parentem? Videris mihi inter amplexus suavis-
simos deliciari, & qui in Principe lectaris Vir-
tutes Heroe dignas, idem in Parente admirari
tenerrimum amorem. Omnes omnium ge-
nerum, ætatum, ordinum, hunc Tibi sacrum di-
em celebrant: omnis aula, omnes in Civita-
te, summi, imi, omnis fortunæ ac loci, quin ipsa
mœnia, urbis tecta cum templis lætari viden-
tur. Deniq; Tu quantâ fortunantis diei tem-
perie pascaris? quantâ delectaris? quantâ perfru-
eris? Te nec tempestates inquietent, nec rui-
næ turbent. Lugentes planctus absint; for-
midabiles casus nunquam contingant. Non la-
crimis Festum Tuum profanetur, nec notetur
ejulatibus. Mœstæ vestes ultra Sauromatas
proscribantur, nec sit qui Tuo die cultus læti-
ores deponat. Contractâ fronte ne quis occur-
rat Tibi, quo minus exhilaratum numen suo-
rum

E

rum

rum afflictione dejiciatur. Lætus hunc diem,
hunc diem festum transige. Quem, quoties
redeuntem videbis, (videas autem ad extre-
mum usq; eundemq; serum senectutis termi-
num!) toties Te JOHANNEM GEORGIUM
recordare. Sit copia crescendi, & in altum eve-
hatur Ruta Tua, ut ramis ex se sparsis, Terram
nostram opaco foliorum nexu protegat. Gau-
deant Te sospite Parentes Celsissimi: lætentur
incolume Te Majores Illustrissimi. Sic quem
nunc exosculamur tenerum, diligemus adul-
tum, suspiciemus Virum. Vive JOHANNES
GEORGI, optime Princeps, Domine Cle-
mentissime! Vive, Vive JOHAN-
NES GEORGI!

D I X I.



FK No 5095

ML

ULB Halle 3
004 824 407



WDA





N. 4, 1.

Vc
5095

Ad
SERENISSIMUM PRINCIPEM
DN. JOHANNES
GI
SAXONIAE
SERENISSIMUS
DN. JOHANNES
G
FILIIUM
POTENTISSIMUM
DN. JOHANNES
AUGUSTIS
JUVE
G
GEORGII
SERENITATIS
ex
Ex Officina
Typogr.

